



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Magnum Matrimonij Sacramentum Casibus Practicis Expositum

Reutlinger, Ignaz

Augustæ Vindelicorum, 1716

VD18 10508716

Casus Quintus. Matrimonij Aatholicorum contracti coram Præcone in loco
mixtæ Religionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40059



CASUS QUINTUS

*Matrimonij A catholicorum contracti coram Pracone
in loco mixta Religionis.*

Ordonius, & Amelinda A catholici cives Augustani
Matrimonium contraxerunt in hac sua patria coram pracone
Lutherano

Quaeritur, an validè ?

SYNOPSIS.

1. *Haeretici obligantur legibus Romanae Ecclesiae.*
2. *Nec ab eorum observatione eos eximit consuetudo contraria, quantumcunque diuturna sit.*
3. *Non obligantur tamen Decreto Concilij Tridentini, in contrahendo Matrimonio, ubi illud promulgatum non fuit.*
4. *An etiam Catholici contrahere possint claudestinè in partibus Haereticorum?*
5. *Non sufficit, quod adhibeant Sacerdotem Catholicum, nisi is deputatus sit ad assistendum nuptijs Catholicorum.*
6. *Quòd*

6. *Quod possint in ijs partibus contrahere coram pracone Acatolico, universaliter dici nequit, sed limitatione indiget.*
7. *An his temporibus valida sint Matrimonia clandestina in Gallia?*
8. *An haeretici valide contrahant coram suo Pracone in loco, ubi mixta Religio est, & promulgatum Concilium?*
Affirmativam tenent graves Authores.
9. *Alij in oppositum acriter pugnant, praesertim ob declarationes Cardinalium.*
10. *Prior Sententia videtur esse probabilior.*
11. *Respondetur ad fundamenta in contrarium.*

I. ertum est, Haereticos, cujuscunque Sectae sint, nullo modo exemptos esse ab observatione constitutionum Ecclesiasticarum, quantumcunque illis resistant, atque etiam ludibrio habeant tum ipsas leges, tum earundem conditorem Pontificem, quem ore infrunito non horrent appellare Antichristum. Est haec Conclusio communis Catholicorum, & ratio est manifesta, quia per baptismum ingressi sunt in Ecclesiam, factique illius subditi, & membra, proinde obligantur ad leges, quae latae sunt pro universali Ecclesia, a qua-

rum observatione eosdem excusare nequit ipsorum pertinax inobedientia, qua pervicaciter resistunt; nisi velimus dicere, rebellem subditum, eo ipso quod rebellis est, Superioris sui legibus non teneri, quod plane plus, quam absurdum est, cum nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere possit, ut habetur *L. 134. §. 1. ff. De Reg. Jur.* ipsaque pervicacia non solum non mereatur gratiam, sed crimen, & supplicium exasperet, cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, ut dicitur in c. fin. De Consuetud. quocirca etiam inviti ad obedientiam, & SS. Canonum observationem censuris,

cenfuris, ac pœnis compelli poffunt, quemadmodum videmus contra hæreticos graviffimas pœnas conftitutas effe toto Tit. De Hæreticis, quos multò acriùs ad fidem compellit Ecclefia, quàm Judæos, atque Gentiles, qui fubditi illius non funt, quos proinde judicare non vult juxta D. Paulum 1. Corinth. 5. *Quid mihi de ijs, qui foris funt, judicare?*

2. Neque dicas, leges Ecclefiafticas, etfi hoc detur, quòd aliquando hæreticos quoque obftinxerint, de facto tamen eos non ampliùs obligare, cum pridem contra illas præfcripferint contraria confuetudine duobus ferè fæculis continuatâ, cum ad abrogandas Ecclefiafticas conftitutiones fufficiant quadraginta anni, imò ex plurimum opinione decennium.

Nam contra eft, quia ad hoc, ut confuetudo contraria præfcribere poffit contra legem, ante omnia opus eft, ut rationalis fit, & bona fide tanto tempore continuata, quantum requirunt Jura ad legitimam præfcriptionem, quorum neutrum oftendere poffunt hæretici, cum eorum contrariæ confuetudines nec bona fide nitantur, nec rationabiles funt, utpote quæ ceftruant difciplinam Ecclefiafticam, impediunt morum reformationem, extingunt debitam obedientiam, peccandi licentiam fubminiftrant, ftatumque univerfalis Ecclefie deformant, & introductæ funt ex mera pertinacia, & peftifero odio erga sanctam Ecclefiam, ejuf-

que visibile caput Romanum Pontificem, cuius potestatem legislativam divinitus ipfi concessam impiè negant, & contumaciter contemnunt, ac conculcant, cujufmodi confuetudines nunquam legitimè præfcribere poffunt contra legem, ut patet exc. fin. De Confuetud. *Licet etiam longævæ confuetudinis non fit vilis auctoritas, non tamen eft ufq; aded valitura, ut vel juri pofitivo debeat præjudicium generare, nifi fuerit rationalis, & legitimè præfcripta;* nihil ergo eft, quod eos excufare poffit ab observatione legum, feu conftitutionum Romanæ Ecclefie.

3. Dubium verò eft, an ita rigorosè ifta accipienda funt, ut eos etiam adstringere velimus ad observantiam Decreti Tridentini de clandestinitate Matrimonij, aded ut, nifi contrahatur coram Parocho, & teftibus, ficut præcipit S. Synodus, contractus fit invalidus, & confequenter nulla funt ipforum Matrimonia, quæ coram Acatholico præcone contraxerunt?

Circa hanc quæftionem aliqua nobis confideranda funt, ac 1. quidem. Certum eft, Matrimonia hæreticorum effe valida, fi in ipforum Parochia Concilium Tridentinum nunquam fuit promulgatum ita communis. Patet ex verbis ipfius Concilij: *Decernit infuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia fuum robur poft triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ*

facta numerandos : prærequirit igitur S. Synodus, ut promulgatio facta sit non solum in Diocesi, sed in ipsa quoque Parochia, ad hoc, ut robur suum habeat, & obligationem inducat dictum Decretum. Nec tamen necessarium est, ut semper facta sit formalis promulgatio, quia censetur esse sufficienter promulgatum, quando est usu communi receptum in tali Parochia, nam receptio supplet vices promulgationis, ut advertit Lessius in *Auctoritate V. Sponsalia cas. 5. n. 15.* & cum eo Gobat *tr. 9. cas. 18. n. 455.*

Ex istis rectè inferit modò nominatus Author subsequente *n. 458.* valere ex hoc capite pleraque Matrimonia hæreticorum, si aliud non desit, quàm præsentia Parochi, siquidem in plerisque Parochijs omni ex parte hæreticis, non fuit facta ulla publicatio istius sanctionis, quia pleraque illa loca jam defecerant ab Ecclesia, & Romano Pontifice, prius quàm lucem aspiceret hæc constitutio Tridentina.

4. Non solum Hæretici, sed etiam Catholici validè contrahunt sine præsentia Parochi, & testium existentes in terris hæreticorum, ubi Concilium Tridentinum promulgatum non fuit, v. g. in Anglia, Scotia, Hibernia, Suecia, Dania, Pomerania, Saxonia, Prussia &c. in quibus regnis omnibus, & Provincijs Decretum hoc nec usu receptum est, nec aliquando publicatum, cum Tridentinum Concilium cæperit anno 1545, quando jam

pridem prædicta Regna, & Provincie defecerunt à fide Catholica. Patet ex ipso Concilio Tridentino, quod vult, ut Decretum hoc robur habere incipiat in unaquaque Parochia post triginta dies à facta ibi publicatione, ut paulò ante dictum est. Imò etiamsi decretum Tridentinum in aliquo loco fuerit aliquando promulgatum, ac receptum, si postmodum invalescente potentia hæreticorum, aliorumvè infidelium, expulsis Catholicis Sacerdotibus, amplius observari non possit, tunc, quando nullus adest Catholicus Parochus, vel ignoratur, ubi lateat, aut tutus ad eum accessus non patet, idem dicendum est, ut prius, nimirum validè contrahi clandestinè, quia cum Tridentinum Decretum in ijs locis observari nequeat, non est existimandum, libertatem validè contrahendi ibi fidelibus ablatam esse, ac de utroque casu ait Laym. *L. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 7.* cum Sporer *Theol. Sacramental. c. 1. n. 34.* & Pirhing *De Glandest. despons. n. 12.* posse etiam Catholicos in talibus locis validè contrahere coram prædicante, vel etiam sine hoc, quod infra *n. 6.* examinatur.

Hactenus dicta confirmantur responsione Sacre Congregationis Cardinalium S. Concilij Tridentini interpretum, quæ idem ferè asserit, nisi quòd in ijs locis, ubi Decretum Tridentinum aliquando promulgatum, atque receptum fuit, exigat, ut saltem testes adhibeantur in nuptiali

tiali contractu. Datum est hoc responsum Octavio Tricariensi Episcopo Belgij Nuncio Apostolico 19. Januarij 1605. circa Matrimonia Catholicorum in partibus Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ, cæterisque provincijs confederatis, in quibus decretum Tridentini Concilij promulgatum fuit Anno 1570. antequam illa provincia ab obedientia Philippi II. Hispaniarum Regis, & fide avita penitus deficerent, quod evenit 1572. Verba illius hæc sunt: *Si Parochia, in qua aliquando fuit observatum decretum, Parocho careat, & Cathedralis iisdem Episcopo, & Capitulo, habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id deligendi, nullusq; alius ibi sit, qui vices Parochi, aut Episcopi suppleat, Matrimonium valet absq; præsentia Parochi, servata tamen in eo, in quo potest, formâ Concilij, nempe adhibitis saltem duobus testibus: si verò extent quidem Parochus, & Episcopus, sed nullo constituto Vicario, uterque metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur, ubi sit, vel eodem metu à Diocesi absit, nec ad alterutrum est tutus accessus, validum est Matrimonium contractum absq; Parocho, adhibitis tamen testibus.* Ita S. Congregatio, idemque docent Ardekin tom. 2. p. 2. tr. 4. c. 8. §. 4. Gobat tr. 9. cas. 18. n. 475. Petrus Marchantius in Resolut. cas. 8. de Sacram. Matrim.

5. Idem Marchantius tom. 3. Tribunal. p. 2. tit. 7. g. 10. conclus. 5. notat circa memoratum responsum S. Con-

gregationis, non sufficere, quòd adsit alius Sacerdos, vel alienus Parochus Catholicus absque delegatione; hi enim, cum pastorem, sive Parochialem auctoritatem in illo loco non habeant, nihil in hac Lege Concilij Tridentini præstare possunt. Scio quidem, Lessium in *Auctor. V. Matrimonium, Cas. 17* absolute negare, validum esse Matrimonium, quod contrahunt Catholici in Hollandia, & Zelandia sine Parocho, eò quòd, licet nullum habeant, facile tamen reperire possint aliquem, qui ab Ordinario potestatem assistendi habeat, vel petere dispensationem à Pontifice. Sed præhabenda est responsio Cardinalium, nec debet nos ad oppositum movere argumentum Lessij, nam neque nos aliud asserimus, nec ipsa Cardinalium declaratio, quàm valida esse Matrimonia sine præsentia Parochi in ijs partibus contracta, quando vel is, vel alius Sacerdos licentiam assistendi habens non adest, sive præsens non est in eo loco saltem moraliter, id est, in vicinia, nec tunc adiri potest, si enim facile quispiam talis invenitur, vel sine magno periculo adiri potest, coram eo contrahi debet, secus erit invalidum. Præpos. in 3. p. 8. Th. q. 4. de Matr. dub. 8. n. 50. Diana p. II. tr. 6. resol. 1. Cur autem valida sint conjugia Catholicorum in terris hæreticorum contracta sine præsentia Parochi, ratio est, vel quia

P p p

S. Con-

S. Congregatio virtute supra dictæ responsionis declaravit per epichiam, & ex æquitate aliqua hunc casum non comprehendi in Concilio Tridentino, quod suo Decreto principaliter voluit obviare malis ex Matrimonio clandestino ordinariè proventibus, minimè verò causare voluit, quòd in plurimis integris territorijs, provincijs, ac Diocesisbus Catholici ex defectu Parochorum Matrimonio conjungi nunquam possent, sic enim in talibus locis brevè deficeret fides Catholica: vel certè summus Pontifex dictas declarationes S. Congregationis confirmando, censetur pro talibus locis hæreticis, in quibus Parochus Catholicus non est, nec ad eum tutus datur accessus, paternè dispensare, ut etiam sine præsentia Parochi contrahere valeant, prout bene ratiocinatur Anacletus Reiffenstuel *De Clandest. despons. n. 134.*

6. Cùm verò doceant Layman, & alij quidam supra citati, posse Catholicos contrahere Matrimonium etiam coram præcone Acatolico in partibus Hæreticorum, ubi Romana fidei Parochus non habetur, judico, hanc doctrinam locum duntaxat habere, quando id fieri absque scandalo potest, & is Minister adhibetur præcisè velut persona politica, ut de contracto Matrimonio publicè constet, & nuptiæ illegitimæ impediatur, quamvis ex more libertetur Sponsos, ad fidem Matrimo-

monij servandam, aut concio ab illo habeatur, vel aliquæ preces recitentur, modò nulla interna, vel externa reverentia, & veneratio habeatur illius Concioni, vel orationi, qualem hæretici præstare solent. Ut verò eundem ex voluntate Magistratûs adhibeant tanquam ministrum Ecclesiæ, ita ut censetur hæc esse cæremonia quædam Religiosa ad Sacramenti valorem necessaria, vel ista adhibitio habeatur pro tacita quadam, vel expressa approbatione, & professione rituum hæreticorum, possintque Catholici opinari, Sponsos hoc facere animo hæretico, atque ita scandalum pati, ut & ipsi sensim inducantur in reverentiam Ministrorum, & ad suscipiendos hæreticorum ritus, & consuetudines, tunc enim verò fieri id minimè posse censeo cum Lessio in *Auctario. V. Hæreticorum cum Catholicis conversatio. casu 24. & 25. & Coninck disp. 15. de fide. dub. 3. n. 63.* habetque se res ferè eodem modo, sicut in frequentatione templorum hæreticorum in Anglia, quæ adiri non posse à Catholicis rescripsit super hoc dubio consultus Paulus V. cùm videretur hæc frequentatio præcipi non præcisè ad præstandam Regi Civilem quandam obedientiam, sed ad conciliandum hæresi honorem, & augmentationem, quasi Catholici eandem Sectam hoc veluti symbolo profiterentur, & approbarent; vel certè ut ad ejus professionem paulatim

sim disponerentur, quemadmodum videre est apud citatum Coninck, & Sanch. L. 2. in Decal. c. 4. n. 27.

7. Dubium hinc esse potest, an Sponsi Catholici possint hoc tempore contrahere Matrimonium sine presentia Parochi, & testium in Gallia, ob non receptum ibi Concilium Tridentinum?

82. Decretum Tridentinum non obligare non solum, ubi id promulgatum non est, sed etiam ubi, quantumvis promulgatum sit, receptum non fuit, quamvis enim ad intrinsecam Legis constitutionem, ejusque vim obligandi non requiratur acceptatio populi, tamen si populus in non acceptatione, & usu contrario, saltem per decennium perfitit, cessat lex obligare, licet primi legem sine justa causa non acceptantes, & non observantes, peccaverint, ut communiter traditur in Tract. De Legibus. Modò quod attinet Concilium Tridentinum, certum est, illud non solum in Gallia, verum in omnibus Catholicis provincijs plenè receptum esse quoad dogmata fidei, neque de hoc lis unquam fuit inter Auctores; in Gallia tamen receptum non est, quoad capita reformationis, saltem aliqua, tum ex metu Hugonottorum, ne nimium irritarentur à S. Synodo per tot anathemata vulnerati, pluresque alias causas, ut videre est apud Card. Pallavicinum in Hist. Conc. Trident. L. 24. c. 11. n. 4. Hinc olim

ob non receptum Concilium quoad hanc partem validè contrahebantur Matrimonia in Gallia sine presentia Parochi, & testium, non tamen licitè, ut constat ex alibi dictis; idque duravit usque ad Annum 1602, ut judicavit Sorbona, teste D. De Val apud Lessium in Auitario. V. Sponsal. cas. 5. in fine. Hodie nec quidem validè contrahitur in Gallia clandestinè, nam etiam quoad ista Concilium jussu Regis Christianissimi nunc publicatum, & receptum est, quemadmodum testatur Mendo in Epitome V. Matrimonium. n. 45. dicens, istud se audivisse ab Episcopo doctissimo Monspellieasi, cum illac transiret, & Gobat tr. 9. cas. 18. in append. Historic. ad num. 485. ait, ex ipsa Urbe Roma se factum esse certiore, Concilium Tridentinum ubique passim in Gallia regno quoad hoc ita esse receptum, ut Matrimonia clandestina habeantur pro irritis, quo in negotio Henricus IV. Gallia Rex jure jurando spopondit Clementi VIII. Pontif. Max. omnem à se operam navatum iri, ut Concilium in regnis suis integrè excipiatur, ut refert Card. Pallavicinus l. c. L. 24. c. 10. n. 15. & Bern. Van Espen p. 2. Juris Eccles. Universi Tit. 12. de Sponsal. & Matrim. n. 30. hac de re ita loquitur: neque de Gallia quoad nullitatem Matrimonij ex defectu presentie Parochi, & testium ulla hodie videtur vel minima dubitandi ratio amplius subesse, idque omnium clarissimè te-

statum Author rerum Gallicarum peritissimus Joannes Cabassutius in Notitia Conciliorum in fine, ubi sic scribit: ad postremum Anno Christi 1615. Lutetia in Generali conventu Gallicani Cleri sub regno Ludovici XIII. de novo receptum fuit communi decreto Concilium istud, ut ex Generalibus actis constat Gallicani Cleri, & scribit in suis annalibus Petrus à S. Romualdo Ordinis Fulienfium Monachus, ut proinde attendendus non sit Bruno Chassaing, qui tr. I. Privileg. Regular. c. 1. propos. 11. mordicus tenet, Concilium Tridentinum in Gallia non esse receptum, cujus autoritas tantò minoris mihi est, quòd hic ipse illius liber reperiat relatus in indicem Romanum librorum prohibitorum.

8. Nunc verò an valeant Matrimonia Hæreticorum etiam in civitatibus, ubi Catholici vivunt permixti cum hæreticis, & Tridentinum Concilium promulgatum, atque receptum est, v. g. Augustæ, Ratisbonæ, & in alijs Germaniæ Urbibus, si ea contrahant sine præsentia Pastoris Catholici coram suo pseudo-ministro, cum tamen ijs non desit in tali loco Parochus, aut Episcopus Catholicus, cui per se, ac de jure etiam hæretici subsunt in spiritualibus, is est inter Authores, estque hoc dubium proprium nostri casus.

Affirmativam tenent non pauci, qui in Germania scripserunt, viri

magni nominis, & quorum doctrinam Scholæ suspiciunt, videlicet Dicastillo *disp. 3. de Matr. dub. 10. n. 83.* Tannerus *tom. 4. disp. 8. q. 3. dub. 6. n. 122.* Laym. *tr. 10. p. 2. c. 4. n. 9.* Pirhing *n. 12. de Clandest. despons.* Sporer *Theol. Sacramental. p. 4. c. 1. n. 35.* Verani *Jur. Can. tom. 4. Tit. 1. p. 2. de Matrim. secundum se. §. 7. n. 54. & seqq.* König *n. 4. de Clandest. desponsat. Conclus. 2.* & ipso testante plerique DD. Germaniæ, qui arbitrantur, Decretum Tridentinum se non extendere ad istum casum, eò quòd aliàs nimis gravia damna, & incommoda publica non solum in hæreticos, sed etiam in ipsam Catholicam Ecclesiam redundarent, quibus per hoc Decretum irritas non censetur Pontifex voluisse, aut nunc velle ansam dare. Certè in nostris partibus passim hæretici ita contrahunt, eaque Matrimonia communi omnium persuasione, & opinione valida reputantur, uti negare non poterit, qui aliquam istarum Regionum notitiam habet: liberi quoque ex ijs geniti habentur pro legitimis, & evehuntur non solum ad sæculares dignitates, sed reversi ad Romanam Ecclesiam etiam ad SS. Ordines, & Officia Ecclesiastica promoventur, sine ulla sollicitudine procurandæ dispensationis, qui tamen, si isthæc Matrimonia essent invalida, ut illegitimi arceri deberent juxta *c. 1. De Filijs Presbyt.* Nec solent

lent conjuges, si fortè Catholicam fidem profiteantur, denuo juxta formam Tridentini Concilij copulari, nec est, qui ad hoc eos urgeat, aut scrupulum ullum injiciat: quæ omnia cum fiant Pontifice sciente, nec contradicente, aut ista conjugia irrita declarante, deducitur, ea valida esse ex tacito saltem summi Pontificis consensu, vel potiùs ex tacita illius dispensatione quoad legem Tridentinam.

9. Negativam sententiam acriter defendunt Gobat *tr. 9. cas. 18. à num. 461.* & Anacletus Reiffenstuel *l. 4. Juris Can. n. 146. de clandest. despons.* ubi ait, Laymannum, Tannerum, aliosque supra citatos Doctores audientos non esse, eò quòd nullum solidum afferant fundamentum; nec enim validitatem ejusmodi conjugiorum colligi posse ex consensu Pontificis scientis, & tacentis ad similes contractus, ex quo benigna interpretatio desumi queat, nolle eum, ut Decretum Tridentinum ad hæreticos quoque extendatur ob multa incommoda inde secutura; quis enim sæcularium Principum, si valor Matrimonij ab ejus nutu penderet, tam facilem, & benignum se præberet suis subditis rebellibus, qui omni studio conarentur eundem penitus evertere: cur ergo Pontifex tam se clementem exhibeat ijs, qui omnes ipsi obedientiam contumacissimè negant, & illius approbationem neque ambiunt, nec irritationem pensi ha-

bent, sed potiùs contemnunt, & rident? mentem summi Pontificis contrariam potiùs manifestè constare ex declaratione Cardinalium, datà ad Episcopum Tricarientem 19. Jan. anno 1605. ubi inter alia ita habetur: *hæreticos quoque, ubi decretum dicti cap. 1. est publicatum, teneri talem formam observare, & præterea ipsorum etiam Matrimonia absque forma Concilij, quamvis coram Ministro Hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla, atque irrita esse. Similem, eamque recentiore declarationem, editam anno 1676. adducere refertur Brugo Neüsser *disp. 182. q. 2. ad finem*, qua fortè diversa non est ab ea, cuius meminit Pignatelli *Consult. Can. tom. 9. Consult. 139. n. 71.**

Neque satisfacit, si quis dicat, habere Augustanos, & Ratisbonenses A catholicos diversas à Catholicis Parochias, & propria templa, in quibus nunquam promulgatum fuerit Tridentinum Concilium, hujus proinde Decretis ipsos non ligari, esto, in tali Urbe facta fuerit Concilij promulgatio, cum ipsum Concilium non obliget, nisi eos, in quorum Parochia facta est publicatio: aut verò si terminus sit de loco, in quo, ut in pluribus usitatum est, unam, eandemque Ecclesiam Lutherani frequentant cum Catholicis, tunc cum Tannero *c. l.* ita conetur quis exponere, quòd in tali loco existat quidem physicè unica Parochia, que tamen moraliter, & Juris fictione duplex

plex sit, scilicet vera, & falsa; in hac autem pseudo-parochia non cenferi promulgatum Decretum Tridentinum, licet revera publicatum fuerit in vera Parochia; hujusmodi, inquam, expositio neutiquam satisfacet, quia Ecclesia tales Parochias, talesque Parochos non agnoscit: Pastoris Catholici jurisdictioni etiamnum subiecti sunt, & ad istius ovile pertinent, quamvis loco pastoris sequantur lupum errantes oviculæ; & sicut rebelles subditi non desinunt esse subditi sui Principis, ed quod pervicaciter illius jugo se subdixerint, aliumque sibi, excusso legitimo, Superiorem constituerint, ita & A Catholici in nostris partibus ad genuinam, in qua Concilium promulgatum est, non verò ad pseudo-Parochiam spectant, & coram Pastore Orthodoxo contrahere debuerant, non coram pseudo-ministro.

10. Fateor, pensatis utrinque rationibus, & declarationibus Eminentissimorum DD. Cardinalium, difficile est, hac in re aliquid statuere; adhuc tamen malim accedere priori sententiæ, in quam denique quo, ad praxin etiam Gobat inclinatur. *tr. 9. cas. 18. n. 471.* motus autoritate tantorum virorum, qui eandem propugnant, quorum iudicium, ut ipse ait, excusabit omnes, qui eos sequentur consulendo, iudicando, agendo contrarium, sicut utique agere debent Parochi, Confessarijque locorum, in quibus fuit hætenus notoriè, &

constanter tolerata à Magistratu Ecclesiastico Catholico praxis sententiæ Tannerianæ. Hæc Gobat. Accedit, quod hanc eandem sententiam, scilicet, Matrimonia A Catholicorum coram Magistratu politico, aut ministro A Catholicico contracta, etiam in illis locis, ubi Decretum Concilij Tridentini aliquando fuit publicatum, valida esse, etsi non desit copia Parochi Catholici, & sic conjunctos ad Ecclesiam Catholicam redeuntes non esse urgendos, ut coram Parocho consentum Matrimoniale renovent, non solum in Germania usu receptam esse, sed etiam in Provincijs confœderatis Hollandiæ, ubi Calvinistæ dominantur, à septuaginta, & amplius annis, restatur Bernard. Van Espen p. 2. *Iur. Eccles. univ. vers. Tir. 12. de sponsal. n. 32.* additque, toto quasi orbe spectante fuisse practicam, pro qua opinione ibidem adducit etiam Martinum à Schwaën in Academia Lovaniensi Theologiæ Doctorem, qui eorundem conjugiorum validitatem solidè defendit, idque probat ab utilitate Ecclesiæ, & salute animarum; si enim Matrimonia A Catholicorum coram Magistratu politico, vel Ministro A Catholicico inita essent invalida, sequeretur, nullum conjugatorum Calvinistam (vel Lutheranum) posse ad fidem Catholicam converti, nisi aut deserat uxorem hæreticam, converti nolentem, postquam cognovit, se hucusque in materiali saltem fornicatione cum pu-
ratis

tatitia uxore vixisse, vel nisi ea consentiat de novo inire contractum conjugalem coram Parocho Catholico, quod non nisi rarissimè contingeret; hinc difficulter Calvinistæ (idem est de Lutheranis) ad fidem Catholicam converterentur; proinde ex eo, quod ipsorum Matrimonia inita coram Magistratu politico, vel Ministro Acatolico habeantur pro validis, via aperitur hæreticis, ut facilius resipiscant, & reconcilientur Ecclesiæ Catholicæ.

Refert idem Martinus de Schwaën hanc rationem propositam fuisse Cardinalibus S. Congregationis Concilij Tridentini ab Episcopo Castoriensi Vicario Apostolico per Prævincias confœderatas, cum anno 1671. Romæ negotia suæ Missionis ageret, eosque respondisse: *non convenire, ut quæstio ista à S. Officio definitur, sed staret ipse, quod crederet animarum sibi creditarum saluti maximè expedire*, eundemque Præsulem post suum ex Urbe reditum summo deinde studio Pastoribus sibi subditis inculcare conatum esse, hujusmodi Matrimonia habenda esse pro validis: quod ulterius probat ex fine Decreti Tridentini; siquidem finis Concilij quoad irritanda Matrimonia elandestina fuit, ut evitarentur multa incommoda, & damna, quæ ex talibus Matrimonijs oriebantur, cum enim in foro externo probari non possent, conjuges post aliquos annos concepto sui odio à se invicem discedebant, sub

falso prætextu, quod non iniverint Matrimonium, sed tantùm simul cõhabitaverint, ex quo sequebatur, quod proles ab ijs genitæ pro illegitimis haberentur, & conjuges aliud Matrimonium contrahentes adulterarent; ad hæc igitur gravissima incommoda evitanda rectè concilium Tridentinum prohibuit, ac irritavit Matrimonia clandestina: atqui ista incommoda non sequuntur, quando Matrimonia contrahuntur inter Acatolicos coram Magistratu politico, vel Ministro hæretico; sic enim in foro externo per testes sufficienter probari possunt, cum contrahantur publicè, & coram testibus, nec aliter, quàm prævijs distinctis proclamationibus, quod etiam ipsimet Acatolici observant: nulla ergo ratio est, cur observantia Decreti Tridentini, cessante illius fine, magno opere urgeri debeat, præsertim cum maximis incommodis, quæ ex urgenda hac observatione sequi possunt, maximè cum id vix non impossibile sit, postquam tantopere crevit hæreticorum potentia.

Sed neque responsa Cardinalium, quæ Reiffenstuel allegat, contrarium plenè evincunt; nam de primo mirum non est, acrius tunc insistisse in observationem istius Decreti, quando necdum aded invaluit hæreticorum potentia, ut ipsis permitteretur pacificum suæ Religionis exercitium, quem rigorem hodie adhibere non expedit. De altero recentiore respon-

sponsio, quod adducitur ex Brunone Neüsser, ut mentem meam aperiam, præterquam quòd versetur in diversa specie facti, quàm habeat noster casus, quia agit de Matrimonio, quod contraxit Catholicus cum hæretica, cum diu post istam declarationem plurimi Authores benigniorem opinionem adhuc tueantur, magnum id mihi indicium est, vel eam non fuisse universalem, vel denuo ob graves causas tacito saltem Pontificis consensu esse abrogatam, nam etsi ipsius tantam benignitatem non mereantur hæretici, movere tamen ipsum ad hoc potuere tam innocentes liberi, ne, quotquot ex talibus conjugijs gignerentur, omnes illegiti-

mi essent, tum etiam, & maximè, Catholici, quibus inter hæreticos in istis Partibus continuò vivendum est, quorum pax publica, & tranquillitas turbari posset hoc rigore, tum denique ut ipsi hæreticis via planior itereretur per hanc Pontificis indulgentiam ad suam conversionem, atque sic juxta AA. suprâ citatos, quibus insuper adde Gamachæum c. 28. de Matrim. ad finem, probabilior mihi est, valida esse ista hæreticorum Matrimonia, donec à summo Pontifice aliud apertius statuatur, & consequenter in casu nostro validè contraxisse Ordonium, & Amelindam.



CLASSIS